


Disputatio De Sacramentis In Genere : Cuius capita sunt quatuor: I. De definitione nominis & rei ... II. De Caussis eoru internis & externis ... III. De effectu sacramentorum tres contr exponuntur ... IV. De numero sacramentorum ...

Rostochii: Typis Stephani Myliandri, [1604]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1890825352>

Druck Freier  Zugang



DISPUTATIO
DE

SACRAMENTIS
IN GENERE.

Cujus capita sunt quatuor:

- I. De definitione nominis & rei : in quo quinq; problema : 1. Sitne vocabulum Sacramenti usurpandum? 2. Quid propriè significet. 3. Quæ sint requisita sacramentorum N. T. 4. Quæ vera sacramentorum definitio. 5. An ea cõveniat utriusq; testamenti sacramentis.
- II. De Causis eorũ internis & externis. De illis tria tractatur. 1. Utrũ sacramenta consistant rebus & verbis. 3. Utrũ hec ita sint determinata, ut nihil in illis mutare liceat. De his v. sex quæstiones explicatur : 1. Quis sit finis sacramentorum principalis. 2. Sintne sacramenta necessaria. 3. An sacramentorum N. T. in orbem univ. sum promulgandorũ autor immediatè sit solus Christus 4. Quis horum administrandorum minister in ecclesia esse debeat. 5. utrum infideles etiam vera sacramenta salubriter administrare queant. 6. Sitne intentio ministri ad rectã sacramenti administrationẽ necessaria
- III. De effectu sacramentorum tres contr. exponuntur : 1. An sacramenta N. T. sint veræ causæ justificationis ex opere operato. 2. utrũ justificare ex opere operato sit proprium sacramentorũ N. T. an commune utriusq; 3. An aliqua sacramenta imprimãt characterẽ indelebile
- IV. De numero sacramentorum N. T. deq; eorũ inter se differẽtia: deniq; de discrimine sacramentorũ V. & N. T.

De quibus

AUXILIANTE DEO TRININO,
Præside

M. PAVLO TARNOVIO

respondebit

THOMAS HAVER Susar. VVest.

Cum Consensu Reverendæ facultatis Theologica.

1604



064-2037

Mecklenburgische
Landesbibliothek
Schwerin

064-2037
Schwerin
19. Jan. 1911





N doctrina de Sacramētis in genere qua agitantur hodie inter theologos controversa, ad sex capita revocantur à Bellarmino. harū præcipuas cum rogatu juvenutis studiosa ad disputandum proponere est animus, ordinem ipsius in præsentia sequemur, sic tamē ut diffusa contrahamus, *κατανοήσιες* aut prævereamus, aut saltem leviuscule tangamus: quæ verò præ ceteris momentis aliquid habere videntur, diligentius examinemus. Capita igitur universæ disputationis primaria erunt quatuor: I. De definitione nominis & rei: in quo quinque explicantur: 1. Liceatne voce sacramenti uti; 2. Quid significet propriè? 3. Quæ nā requisita sacramentorum N. T. 4. Quæ vera horum definitio. 5. An ea communis utriusque testamenti sacramentis. II. De causis eorum internis & externis. De illis tria tractantur: 1. utrum sacramenta consistant rebus & verbis, tanquam materiâ & formâ. 2. Quæ illæ res & verba? 3. utrum hæc ita sint determinata, ut nihil in illis mutare sit licitum. De his verò sex quæstiones proponuntur: Quis sit finis sacramentorum principalis. 2. Sinne sacramenta necessaria. 3. An sacramentorum N. T. in universum orbem promulgandorum autor immediatè solus sit Christus. 4. Quis horum administrandorum minister in ecclesia esse debeat. 5. utrum infideles etiam salubriter administrare sacramenta queant. 6. Sinne intentio ministri ad rectam sacramenti administrationem necessaria. III. De effectu sacramentorū tres controversiæ explicantur: 1. An sacramenta N. T. sint veræ causæ justificationis ex opere operato. 2. utrum justificare ex opere operato sit proprium Sa-

cramentorum N. T. an communē utriusque. 3. An aliqua sacramenta imprimant charactere in indelebilem. IV. De numero sacramentorū N. T. deque eorum inter se differentia: denique de discrimine sacramentorum V. & N. T.

I. DE DEFINITIONE NOMINIS ET
rei Sacramentorum.

I. Qui de Sacramentis vel διδασκαλικῶς vel ἐλεγκτικῶς scripserunt, eorum pleriq; hunc ordinem servarunt, ut à nomine tanquam prima huius doctrine parte exorssi, paulatim ad graviora descenderint. horum nos exemplum secuti, omnino prætereundas non putamus, quæ de illo moventur quæstiones, præsertim cum in his quoq; se habere putet ὡς ἐστὶν ὁ ἰησούτου ὡς ἐστὶν ὁ Bellarminus, quod in nostrarum Ecclesiarum doctoribus carpat & desideret. De nomine enim Sacramenti duas esse affirmat hæreticorum (ita nos qui Lutherani vulgo vocamur & Calvinianos appellat) inter se atq; cum Pontificijs controversias: Unam, Sitne hoc nomen usurpandum: alteram, Quid propriè significet & vide l. i. c. 7. de sacram.

II. Harum quæstionum priorem omittere potuisset Antagonista noster, si, ut æquam erat, bona fide in re sacra nobiscum agere, atq; nec falsum assertionem nostris Ecclesijs tribuere, nec alienam mentem earum doctoribus præcipuis, D. Luthero & Philippo voluisset affingere: siquidem nos fatemur & citra ullam ἀμφισβήτησιν concedimus, hoc nomine esse utendum, licet id ipsum in scriptura non occurrat. Res enim eo intellecta in ipsa est, itaq; eius symbolum & notam convenientem minimè fugimus. Quis verò cum in alijs quoq; fidei articulis hanc libertatem adhibeamus, & voces ἀρχαίως Trinitatis, personæ, ὁμοσεως, unionis hypostatica, communicationis idiomatum, peccati originalis, liberi arbitrij &c. usurpemus, non esse quicquam putamus, quod ab hoc vocabulo magis vitando deterreat, præsertim cum de hoc interdicitum nullum in sacris literis extet, ut rectè contra Carolostadium à D. Luthero pronunciatum est. Nam quod hinc Bellarminus in præfat. T. 2. consequi putat, ut A-

vianorum

rianarum ἐπιπέσιον, Macedonianorum ἡ. σ. ο. ν. , Serveti, Gentilis & aliorum blasphemias usurpare liceat, cum & haec non sint prohibita à Deo: quanta sit in his & illo disparitas vel catechumeno patet, res enim his vocibus contenta ἀπαγορεύονται sunt interdictae, itaque cum illis earum nota: quod de Sacramenti nomine & re, quae eo denotatur, probari nunquam poteris.

III. Quod verò D. Lutherus ab initio suae predicationis contrarium sensisse videtur Bellarmino, idque probare conatur partim ex lib. de captiv. Babylon. c. de matrim. partim ex lib. de abroganda Missa, inanem sibi sumpsit operam. In priori enim D. Luth. sententia, non rejicitur ipsa vox, sed asseritur, ea significatione, quae à nobis in hoc articulo accipitur, nempe pro signo rei sacrae, in sacris literis non occurrere, sed in contraria, nempe pro re sacra, secreta & abscondita. In altero verò loco docetur, furentem esse temeritatem, si quis appellet sacrificium & cultum Dei (loquitur a. de cena Domini in Missam conversa) quem ipse Deus non instituit, sibi cultum & sacrificium. Quid hoc verò ad probandam Iesuita in Lutherum calumniam? Par sanè, seu non major impudentia & falsitas est, quod de Philippo scribit, eum Lutheri auctoritatem secutum, abstinuisse ab hac voce & in ἱεροῦ πῶτος L. C. capiti, in quo agitur de Sacramentis, titulum fecisse, de signis, & ex cupiditate innovandi omnia maluisse graeca & latinis prorsus inaudita voce ἁγιασμοῦ, uti, quam receptam Sacramenti. Neque enim in illo D. Lutherum est secutus, sed Moysen & Paulum apostolum: neque in hoc novavit quicquam, sed ad vetustissima, nempe doctrinae sacrae fontem, scripturam, discentes adducere studuit.

IV. Posterior Iesuita quaestio de significatione vocis Sacramenti in hoc articulo magis est controversa, ideoque uberius est explicanda. Nostram sententiam ut distinctè proponamus, non incommodum videtur varias huius voculae acceptiones perstringere. Sacramenti enim vocabulum modò generaliter, modò specialiter, modò specialissimè sumitur. Generatim usurpatur, quando hac voce denotantur quaecumque, alias μυστήρια. b. e. quae sunt secreta & arcana, sive ea sint de proposito, consilio & voluntate Dei, quae rationi naturaliter non est nota, sed abscondita, nisi quantum divinitus de ea revelatur: sive etiam hominum quorumcumque, ita occurrit in vulgatione Eph. 1. 9. ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suae. 6. 3. 4. Notum est mihi factum sacramentum per revelationem. Ibid. v. 9. quae sit dispensatio sacramenti abscondita à seculis in Deo c. 5. 32. conjugium dicitur sacramentum magnum. Tob. 12. 7. Sacramentum regis occultandum

dam est. Sap. 2. 22. Nesciverunt sacramenta Dei, neq; mercedem spectaverunt iustitie. Speciatim accipitur, quando hac voce denotantur figura, quibus Deus sancit hominibus certitudinem promissionum suarum, sive ea exhibitæ sint in natura, ut Iris in nubibus, sive contra eam in miraculis, ut sol retrogradus, & alia. Specialissimè vero, quando eo vocabulo significatur actio sacra divinitus instituta, in qua per visibile elementum Dei verbo expressè mandatum, gratia invisibilis, peccatorum remissio, salus & vita æterna offertur, confirmatur & obsequatur. Ex his tribus, in hoc articulo postremam tantum agnoscimus.

V. Bellam suam suãq; sectæ sententiam expositurus ait, hac voce Latinos nihil aliud exprimere voluisse, quam quod Hebræi & Græci suis: horum itaq; voces in hoc articulo usitatas è V. & N. T. recenset & interpretando evolvit. Cujus nos operæ summam faciemus, non tam ut de vocabulis litigium instituamus, quam ut adversarium suis armis oppugnemus. Hebræi (inquit) tres habent voces quibus sacramenta sua significare solent 1. **דִּקְוִן** qua voce omnes ceremonias atq; ideo etiam Sacramenta, quæ inter illas numerantur, exprimuntur. 2. **דְּמִילָה** & **מִילָה**. consecratio, initiatio, quod qui sacramentum suscipit, perficitur idoneus ad sacram functionem peragenda. 3. **סֵתֵר** Dan. 2. 18. quod significat & rem secretam & signum rei secretæ. Græcorum una vox est **μυστήριον**, cuius quintuplex red- ditur Etymologia: alij à **μῦθος**: h. e. scelus, quod gentilia essent scelestæ & detestanda: alij à **μῦθος**, quod essent fabulosa: alij à **μυστήριον** & **τηγείν**, quod sint occultè servanda res sacra: alij à **μυστήριον**, quod est initio. Tria autem significat hoc vocabulum: primo ceremoniam initiationis h. e. **מִילָה**. 2. arcanam rem & secretam, h. e. **סֵתֵר** vel **סֵתֵר** 3. omnè signum rei arcana & latentis: quod vocabulum **סֵתֵר** etiam denotat. Latinorum vox Sacramentum tria significat: 1. pignus à litigantibus in sacro loco depositum & c. 2. juramentum, quo se Deus homini obstringit. 3. idem quod My- sterium h. e. rem secretam, signum rei secretæ, & rem consecrantem sive i- nitiante. Ex his tribus, quæ vocabulo Mysterij comprehenduntur, & duabus præcedentibus, sunt quinque significationes sacramenti: quarum ultimam, quæ denotat ceremoniam, qua initiatum & consecratum homo Deo, sacramentis propriissimam agnoscit: ceteras, licet eis competant, tamen cum in scripturis neq; fundamentum habeant, neq; sacramentis proprie sint, rejicit.

VI. Ex his breviter commemoratis apparet, primo quodnam sit caput

108

controversiâ in hac quæstione de significatione vocis sacramenti: nimirum, quod nos eâ denotari asserimus administrationem elementi visibilis ex mandato divino ad exhibendam obsignandamq; gratiam salutis & vite æternæ invisibilem, secundum divinam promissionem. Pontificij verò volunt eâ exprimi ceremoniam, quâ initiatur & consecratur homo Deo. Deinde ex iisdem liquet, hanc controversiam non esse *λογολαλῶν* leviculam & inutilem, sed gravem & scitu necessariam disceptationem: quæ ipsam finem & usum sacramentorum concernit. Proximum est, ut nostram assertionem paucis confirmemus, & adversariorum refutemus.

V II. Sententiam nostram de significatione vocis sacramenti, ex eius fine & usu legitimo petitam, hoc syllogismo probamus: Qui est finis & usus rei ipsius, in vocabulo sacramenti exprimitur. At finis sacramenti est, esse actionem ceremonialem, quâ per visibile elementum, à Deo mandatum, invisibilis gratia exhibetur & obsignatur. Ergo hic finis & usus vocabulo sacramenti exprimitur. Major ex utriusq; partis controversentis confessione vera est. Minor ex inductione finis principalis sacramentorum omnium V. & N. T. probatur: de quo, ne hic prolixiores simus, infra suo loco vide.

IIX. Ex cæteris huius vocis significationibus, primam ab opprobriatione forensi, & secundam à juramento militari sumptam, non propterea à scriptura alienas existimamus, si ad Baptismi *Ἐπιπέτυχε* 1. Pet. 3. 21. & cœnæ dominicæ *Ἄφ' ἡρώ* Luc. 22. 1. Cor. 11. respiciamus: de quo tamen servando, magis religiose laborandum, quam litigiosè contendendum putamus. Tertiam & quartam censemus esse *ὀυεξδοχίνας*. Interdum enim res signata, interdum verò signum hoc vocabulo intelligitur: quorum neutro integrum sacramentum absolvitur. Quam huius vocis sacramenti usurpationem apud Ecclesiasticos scriptores variam, pluribus declarare nobis non est licitum: uti nec similem, quæ apud eosdem occurrit in re sacramenti. Hac enim phrasi modò substantiam sacramentorum, modò fructum eorum denotant: de quo, cui libet, plura videre licet apud eos, qui integram huius articuli tractationem ex professo susceperunt.

IX. Opinionis, quam tuetur adversarius, cum duo sint membra, eorundem responsionis nostræ erunt capita. primo enim vult latine sacramenti vocabulo idem denotari, quod hebræorum illis tribus supra recensitis & explicatis; quodq; græcorum vocabulo *προσηγῆς*. deinde illis & hoc significari ceremoniam, quâ initiatur & consecratur homo Deo.

X. Priorem huius assertionis partem duobus rationibus redarguimus: V. n. 2.

na: Si idem significatur latinorum voce Sacramenti, quod hebraeorum & graecorum illis vocibus, una est harum omnium significatio. unam enim ipse tantum agnoscit in hoc articulo. At non est una: quod vel ex Bellarmini ipsius interpretatione liquet, ejusque contradictione, qui sui immemor negat, nostrae sententiae refutanda causa, V. T. Sacramenta uquam appellati מִן הַדְּבָרִים (c. 3. in fine) quod suae opinionis firmanda gratia, antea (ibidem) affirmarat: sed vel מִן הַדְּבָרִים vel מִן הַדְּבָרִים (quorum posterior gl. 2. c. 29. retrah.) E. non idem significatur latinorum voce Sacramenti, quod hebraeorum & graecorum uocibus. Altera: Si unius & ejusdem significationis sunt hebraeorum & graecorum uoces in hoc articulo, necesse est ut V. & N. T. sacramenta ejusdem sint ualoris (id enim divinae uoces & notae rerum denotant, quod in his reuera est) At ex Bellarmini opinione V. & N. T. Sacramenta non fuerunt ejusdem ualoris. Ergo nec unius ejusdemque significationis.

XI. Posterior pars, qua dicitur, Sacramenti uocem sumi pro ceremonia initiante & consecrante hominem Deo, primum falsis nititur hypothesis, quod Sacramenta sint media ad instituentum hominem omnibus uirtutibus contra omnia uitia, secundum omnes aut plerasque eius in Ecclesia diuersitates (uid. Bell. lib. 2. de sac. c. 26) deinde uerilissimis suffulta est rationibus. fingunt enim Pontificij, sacramenta esse instituta, ut consecrent & disponant nos ad uirtutes habendas: ita ut Baptismus sit, sacramentum Fidei; Confirmatio, Spei; Eucharistia, Charitatis; Poenitentia, iustitiae; Extrema unctio, Perseuerantiae sive Fortitudinis; Ordo, Prudentiae; Matrimonium, Temperantiae. Item ut sint antidota morbis spiritalibus opposita, Baptismus originali; Poenitentia, mortali; Extrema unctio, ueniali; Ordo, ignorantiae; Eucharistia, malitiae; Confirmatio, impotentiae; Matrimonium, concupiscentiae. Denique, ut inserviant nobis Christianis in omni uita statu & diuersitate: unde Baptismus dicitur Sacramentum intrantium; confirmatio, pugnantium; Eucharistia, uires resumentium; Poenitentia, resurgentium; extrema unctio, exeuntium; ordo, ministrantium; matrimonium, novos milites introducentium. His ipsorum hypotheses, quia sacramentum literarum testimonio carent, falsis esse statuumus. quod enim ex sola uerbo nominis מִן הַדְּבָרִים sperari potest, inane & frivolum est, ut peritis huius linguae patet. Nec rationes Iesaitae, quarum tres hoc loco, pro tuendi sua opinione afferit, firmiores putamus. Primo n. quod hanc significationem propriissimam, ideoque omnibus & solis sacramentis & semper convenire putat; dupliciter fallitur. Neque enim confirmatio, neque cena, neque Poenitentia &c. sunt ceremonie initiantes & consecrantes hominem. & alia sunt hodie sue-

vunt

rantq; olim, quibus initiatur & consecratur homo, quam qua inter Sacra-
 menta ab utraq; controversentium parte agrosuntur: qualis sunt inaugu-
 ratio regum, principum, aliorumq; 2. Quod hanc significationem ideo pro-
 priissimam esse vult, quia etymologia græca & latinæ respondeat; non prius
 propositum suum probabit; quam ostenderit, eam, quam ipse unam approbat,
 vocis græca & latinæ Etymologiam, aut solam esse, aut inter varias optimam.
 Solam non esse ex varijs, quæ à Bell. afferuntur, etymologijs patet: optimam
 verò tum deniq; concedemus, ubi probatum viderimus. 3. Deniq; quod pro-
 priissimam putat, quia V. T. sacramenta tantum מַלְוֹאִים & מְקִיִּים di-
 cantur, non autem נָר vel נֶדָר; in eo sibi primum contradicit qui quod ante
 affirmarat, nunc negat (id quod denuo lib. 2. c. 29. facit, ubi voce מְקִיִּים
 propriè non tam externam actionem & ceremoniam, quam statutum, quo ac-
 ctio illa præcipitur, designari ait) Præterea nisi velit V. T. Sacramenta, de
 quibus ille voces occurrunt, ejusdem esse efficacia cum novis, vana erit hæc
 argumentatio, ut ante ostendimus. Deniq; quam rectè ad sacramenta ac-
 commodentur, quæ de ritu consecrationis sacerdotum ceteris testamenti u-
 surpata sunt, adversarius & qui cum eo sentiunt viderint; nobis sano
 ΔΟΞΟΝ ΔΙΟΥΟΞΑ apparent.

XII. De nomine & significatione vocis hætenus: sequitur de rei defini-
 tione: in qua sibi lesuita tria proponit tractanda, tanquam controversa deside
 Christiana. Eorum primum est de requisitis sacramentorum N. T. Alterum
 de definitione artificiosa sacramenti; quod tribus questionibus constat. pri-
 mo enim quærit, an aliqua eius dari possit vera & propria definitio? deinde
 quæ sit definitio optima; deniq; an una communis utriusq; Testamenti sacra-
 menti? Tertium, quæ sint adversariorum definitiones vitiosæ. Harum unâ
 dextrè explicatâ, de reliquis prolixam tractationem non desiderari arbitra-
 mur. potissima enim hic est quæstio: Quæ sint requisita sacramentorum
 N. T. hisce probè constitutis, non difficile erit videre, quæ sit optima eorum
 definitio, quidvè in alijs, quæ ab hac discrepant, aut desit aut redundet. quæ
 enim requisita illa habeat omnia, proculdubio erit optima: quæ verò cum
 hac magis, minusvè congruent, vitiosæ censebuntur. An autem verè & propriè
 definiri queat Sacramentum, cum ex scholasticorum sententia sit Ens ratio-
 nis, & unum per accidens; eam Μᾶθησις non ad theologicas, sed ad lo-
 gicas Μᾶθησις pertinere arbitramur. Deniq; de communi & univocâ u-
 triusq; testamenti sacramentorum definitione, partim ex his, quæ de requisit-
 is hoc loco, partim ex alijs, quæ de convenientia & discrimine u-

B

triusq;

utriusq; testamenti sacramentorum deinceps dicemus, iudicium peti poterit.

XIII. Requisita illa, de quibus ut prima, ita precipua in hoc capite est questio, ut rectè indagemus, aut potius ab alijs indagata ostendamus, hunc syllogismū præmittimus: Quæ reperiuntur in ijs, quæ ex utriusq; partis confessione sunt sacramenta N. Testamenti, ea esse ipsorum requisita certum est. At in baptismo & Eucharistia, quæ sola ex utriusq; partis confessione sunt sacramenta, reperiuntur hæc octo: 1. externum & visibile elementum. 2. mandatum de eodem elemento, ejusdemq; administrandi ritum: 3. idq; in N. T. mandatum: 4. quod durat ad finem sæculi: 5. habet promissionem de fructu & effectu: 6. ea promissa est annexa elemento, eoq; quasi vestita: 7. de bonis non corporalibus, nec quibusvis spiritualibus, sed de gratia reconciliationis: 8. quæ singulis applicetur. E. hæc sunt requisita N. T. sacramentorū.

XIV. Vulgatiō est Augustini ex homil. 13. & 30, in Iohannem, sententia: Accedit uerbum ad elementum & fit sacramentum. Ea autem cum sit generalior, competens utriusq; testamenti sacramentis: imò etiam alio trahi posse videatur (siquidem & magi sua ex sacramenta pro sacramentis ita venditare queant, cum habeant Elementum & uerbum) explicationem aliquam requirit. Hanc ex enumeratis ita peti posse putamus, si dicamus, ad quodvis sacramentum V. & N. T. duo, requiri: elementum & uerbum. Elementum (quod alij signum, alij materiale appellant) sit visibile. Verbum uero sit mandati & promissionis. Mandatum quod uel in V. T. & ad Christum exhibitum; uel in N. T. & ad consummationem sæculi observandum, præscribat ipsum elementum, eiusq; administrandi ritum. Promissio sit annexa elemento eoq; uelut vestita, cum de re signata, tum de fructu & effectu, nempe bonis non corporalibus aut spiritualibus quibuscunq; ; sed de gratuita remissione peccatorum, quæ in specie singulis per sacramentum exhibetur. Hanc usitatiorē & vulgo notiorē recensendi requisita sacramentorum rationem, si quis malit, ei ex commemoratis uidere non difficile fuerit, quæ ad sacramenta N. T. tantum pertineant.

XV. Expositâ nostrâ sententiâ, consequens erit, ut uideamus quid in ea desideret uel reprehendat, quid præter eam requirat aduersarius (lib. 1. de sacram. c. 14.) Quæ desiderat, duo sunt: unum de fine, quoniam hæc excogitata aut ad ostendendum duo tantum esse sacramenta: quod negamus. sunt enim desumpta ex ijs, quæ diuinitus nobis data sunt sacramenta, & utriusq; a nobis talia esse conceduntur: unde euidenter sequitur, ea nequaquam esse à nobis excogitata. Alterum quod reprehendit est, hæc ipsa

ipsa non esse sacramentorum illorum duorum vera & propria requisita: quod quomodo de singulis probare nitatur, porro ordine videndum erit.

XVI Primum requisitum, Visibile ut sit elementum, non esse tale patet, quia sine scriptura dicitur. Hoc cum exemplo Baptismi & Eucharistia, quorum elementa visibilia in scriptura descripta extant, infringi posse videt, ad Sophisticen confugit, reprehensens nostram probationem hac ratione, quod aut assumat quod probandum est (h. e. principium petat) aut nihil probet. Priorem partem, de petitione principij, in eo quod visibilia elementa ad signa sacramentalia pertinere dicuntur, ita ostendere conatur: Ad signa non tantum pertinent visibilia, sed etiam reliquis sensibus, maxime auditu perceptibilia, quæ inter illa pro excellentissimis habentur, ut probat ex Aug. l. 2. c. 3. de doct. Christi. At sacramenta sunt signa. Ergo non tantum visibilia, sed etiam reliquis sensibus perceptibilia ad ipsa pertinent. Posteriori, quod scilicet nihil probet nisi principium petat, hoc modo probare nititur: Ut non sequitur, Homo & avis sunt bipedia, Ergo omne animal est bipes: ita non sequitur, Baptismus & Eucharistia sunt signa visibilia & tractabilia: E. omne Sacramentum est signum visibile & tractabile. Ad horum Sophismatum prius respondemus, distinguendo majorem, quæ vera est, si signum generaliter accipiatur, id quod ipsa probatio, quamvis aliena & snepta, ex Augustino innuit, qui non agit de sacramentalibus signis in specie, sed de omnibus in genere; falsa autem si speciatim de sacramentalibus tantum. In posteriori pariter, quam fingit Iesuita, non agnoscimus antea, quam probavit, ita requiri ad constitutionem animalis, bipedem esse, ut ad Sacramentum, habere signum visibile.

XVII. Secundum requisitum ita oppugnat: Mandatum expressum aut intelligitur disertè & ad literam in sacris literis expositum aut inde per bonam consequentiam deductum. Priori modo falsum est: ita enim neq; Baptismus neq; Eucharistia fuissent sacramenta, antequam scriberentur Evangelia: quinimo & ipsa scriptura est accidens verbi sive mandati. Posteriori verò modo facile probari possunt omnia septem, quæ his requisitis oppugnantur, esse sacramenta. Nam de confirmatione Actor. 8. legimus, per impositionem manuum datum fuisse Spiritum S. id cum factum esse scribitur, mandatum fuisse intelligitur. De cæteris sacramentis idem probari posse, aut, accedente præsertim antiquâ traditione & Ecclesie declaratione. In horum posteriori quomodo deficiat Iesuita, esse scripturum esse potest nemini, qui attenderit promissam esse ex verbo scri-

pro probationem per bonam, ut loquimur, consequentiam, & tam-
dem ad traditiones & Ecclesie declarationem delabi. Nam de confirma-
tionis ritu quod inspergit, alienum est: cum fuerit certi illius temporis, quo
miracula confirmanda. Apostolorum predicationi inservientia durabant: un-
de perpetui in ecclesia ritus mandatum elici nequit. In priori vero falsita-
tem, quam fingit adversarius, non admittimus: Sacramenta enim quando
mandatum expressum requirere dicimus, non ad auctorem ipsum ea ordi-
nantem & insipientem respicimus; qui, quod Deus est, mandatum ab alio
accipere non potest: sed de homine divinitus ordinata vel administrante
vel usurpante, hanc locutionem accipimus. Et hic substantiam verbi sive man-
dari ab ejus accidente h. e. scripture ita distinguimus, ut si illud nunquam
scriptum esset, tamen pro mandato divino agnoscendum statueremus. Jam
verò cum scriptum sit omne illud mandatum, extra hoc accidens illam es-
sentiam querere nostrum non esse profitemur.

XVII. Tertium, ut sit in N. T. institutum, verum esse agnoscit, sed
eo contra nos uti conatur, qui affirmamus, Joannis baptismum habuisse ean-
dem vim cum nostro, ac proinde non tam institutum à Christo, quam appro-
batum fuisse: unde ita argumentatur: Omne sacramentum N. T. oportet
ut sit à Christo institutum. Hic enim est mediator N. T. Heb. 9. 15. & Pa-
ter futuri seculi Esai. 9. 6. (cujus loci allegationem absurdam indicasse
sufficit, quia refutare per brevitatis studium non licet). At baptismus
non est à Christo institutus, sed à Iohanne capit, qui prænunciatus Chri-
sti fuit. Ergo non est sacramentum Novi Testamenti. Hujus argumenti mi-
norem negamus. Iohannes. n. à Deo ad baptizandum missus dicitur. Ioh. 1. 33
& qui ejus baptismum spernebant, consilium Dei spernebant Luc. 7. 30 Et hoc
ipsum voluit Christus interrogando Mat. 23. 25. Num baptismus Iohannis
è caelo esset, an ex hominibus. Christus autem est verus Deus & homo: un-
de sequitur, baptismum ab eo esse institutum. Quod autem Philippus, Kem-
nitius & Calvinus dicuntur asserere, baptismum à Iohanne institutum atq;
à Christo approbatum; id diligenter quesitum, locis notatis non comparat.

XIX. Quartum, ut sit Ceremonia perpetua, non displicet Bell: ut
tamen more suo nostrarum ecclesiarum doctoribus insultet, Kemnitium di-
spicere jubet, quid Luthero respondeat, qui in lib. de capt. Babylonica c. de
bapt. numerat inter sacramenta torem cadentem in vellus Gedeonis & um-
bram retrocedentem in horologio Achaz: quo quidem $\sigma\alpha\kappa\rho\nu\sigma\ \mu\epsilon\omicron\upsilon$ nil eras
epus. Non enim eo in loco Lutherus accipit vocabulum sacramenti specia-
lissime,

lissimè, ut nos in hoc articulo, sed generaliter, ut supra dictum est.
XX. Quintum de promissione gratiæ conatur ita infringere: Promissio
gratiæ vel est præcedens (h. e. generalis Evangelica) confirmanda sacra-
mento tanquam sigillo, vel respicit consequens sive fructum & efficaciam
Sacramenti. Promissio præcedens nec est necessaria, nec invenitur in omni-
bus. Baptismus enim & Eucharistia eâ carent. Promissio quæ consequens
respicit nempe efficaciam sacramenti, itidem à Lutheranis è scriptura pro-
ferri non potest, quamvis à Catholicis è traditionibus queat. Ad hæc ut pau-
cis respondeamus, promissionem generalem in verbo nobis propositam sacra-
mentis tanquam sigillis obsignari & confirmari in singulis statuimus. secun-
dum illud Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: &, Hic
est sanguis meus in N. T.; qui pro vobis effunditur in remissionem peccato-
rum: atq; in hoc, eum, qui promisit, quiq; agit sive operatur per sacra-
menta, efficacem esse credimus, juxta verbum, quo baptismus lavacrum regenera-
tionis dicitur Tit. 3. 9. & panis benedictus *κειρωσικα* corporis Christi.
Corinth. 10. 16. atq; ita utramq; promissionem, quam adversarius requirit,
protulimus.

XXI. Sextum, de promissione quæ annexa esse debet signo di-
vina ordinatione, eoq; velut vestita, falsum esse ait: quia verbum illud
signo additum non est promissorium, sed assertorium: id quod nos negamus.
Primo enim generales Evangelij promissiones sacramentis confirmandas, hæc
intelligimus, quas signo additas, ipsa eorum institutio evidenter docet. Dein-
de specialem singulis additam, præcedenti thesi exposuimus. ea licet ad o-
stendendam applicationem in unoquoq; utentium ex promissione in assertio-
nem videatur mutata, tamen primam suam vim & proprietatem non amit-
tit: quin e contra hæc ex illâ omnem suam efficaciam trahit. Quod enim in
baptismo asseritur, infantem baptizari sive abluî à peccatis & salvari in
nomine Patris, Filij & Spiritus S. id ex promissione illa Christi fluit, Qui
crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Idem de Eucharistia sentien-
dum est.

XXII. Septimum, quod promissio sit de remissione peccato-
rum, falsitatis arguere laborat, ex eo, quod Eucharistia non ad remitten-
da peccata, sed ad nutriendam charitatem sit instituta; quod ex ejus elemen-
tis ostendere, conatur. At vero remissionem peccatorum eâ conferendam,
obsignandamq; esse constat ex Christi assertione, Hic est sanguis meus, qui pro
vobis effunditur in remissionem peccatorum: quo quidem, quod verbum E-

vangelij promittit, id ipsum sacramentum fieri confirmat: quo sine principali posito, alter ille ab adversario notatus non excluditur, cum plures unius rei suis gradibus distincti esse queant.

XXII. Octavum deniq, quod sacramentum ob signet instar sigilli & confirmet instar miraculi promissionem gratie ad excitandum & alendam fidem justificantem; falsum evincere conatur quinq, argumentis: quo ù primum est tale: Si sacramenta confirmarent promissiones Dei, que modo admodum vel miracula vel sigilla, essent notiora & efficaciora, quam ipsum Dei verbum, ad fidem persuadendam. Frustra enim ignotius & inefficacius, ad aliud notius & efficacius adhibetur confirmandum: & ipsa natura sigille & miraculi idem ostendit, hoc enim efficacius est ad persuadendum quamvis predicatione; illud verò sine literis auctoritatem habet, litera sine sigillo minime. At sacramenta non sunt notiora & efficaciora ipso Dei verbo: 1. nihil enim est hoc majus & efficacius. 2. verbum facilius intelligitur quam nutus: Sacramenta autem sunt instar nutus. 3. Experimenta docet, verba magis persuadere quam muta signa; modo ne sint miracula: Ergo sacramenta non confirmant Dei promissiones velut miracula aut sigilla. Hujus argumenti minorem negamus: notiora enim & efficaciora nobis sunt sacramenta, quam verbum simplex: siquidem incurrunt in plures sensus. Cum enim mens nostra plerumq, rerum notitiam aliis sensuum ministerio accipiat (unde illud vulgatum: Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu) notius illud esse nobis & efficacius penetrare in animum, quod pluribus sensibus perceptum fuerit, consequitur. Hinc ad probationem minoris triplicem quid responderi debet, sit evidens. Prima enim institutum non plene probat, neq, enim tantummodo controversatur, an verbum Dei sit efficax, sed etiam, num eo aliquid sit nobis notius. Quod Iesuita, quia suæ heresi contrarium vidit, quæ obscuritatem maximam verbo Dei inesse contra nos aserit, omittere quam inferere maluit. Efficaciam verò quam verbotenus tribuit verbo Dei, an re ipsa eidem inesse statuat, dubitari non immeritò potest, cum scripturam, quæ tantum accidenti à verbo differt, literam mortuam à suis appellari non ignoret. de quo cum alibi commodior sit ad tractandum locus, in presentia, quod dat, accipiemus. Et licet ex scriptura per Sp. S. edocti, maximam esse verbi efficaciam largiamur: tamen cum nostram ineptitudinem & imbecillitatem in percipiendis attendimus, efficacius apud nos verbum visibile, quam auditu solo perceptibile, fateri cogimur. Secunda probatio minime, qua verbum notius & effi-

efficacius sacramentis conatur ostendere, idcirco, quia verbum facilius intelligitur quam natus; præterquam quod sacramenta nutu assimilantur scripturam, idq; longè aliter, & contemptius, quam par est, de eorum dignitate sentiendo, divellit, quæ divina ordinatione, ad juvandam nostram infirmitatem conjuncta sunt. Nos enim signa sive sacramenta sola non dicimus esse notiora, sed verbo annexa: unde etiam veteribus dicta fuerunt verba visibilia, ut paulò ante innuimus. Tertia minoris probatio hac assertur, nempe experientiâ doceri, quod verba magis persuadeant, quam muta signa: quo sanè multò aliter & abjectius de Sacramentis loquitur, quam vel scriptura præscribit, vel ipsius etiam sectæ de horum efficacia aliàs loquitur: quorum utrumq; paulò post suo loco docebitur.

XXIV. *Contra hæc nostra, quibus affirmamus, sacramenta esse data ad juvandam nostram imbecillitatem, ita instat adversarius: Si sacramenta confirmant fidem nostram languidam & imbecillum, faciunt id, vel quia nescimus illas esse Dei promissiones, idq; discimus ex sacramentis; vel, quia si scimus, sacramentis, magis credimus, quam verbo promissionis. At neq; hoc: quia non solum credimus, sed etiam evidentissimâ ratione scimus, Deum non posse mentiri, proinde nihil esse certius promissionibus Dei, neq; illud: primò enim promissiones non discuntur ex sacramentis, sed hæc ex illis: deinde, si sigillum regis non esset notum, sed solum ex literis cognosci posset, superfluum foret. nam vel credunt homines, literas illas esse regis, sigillo secluso, vel non credunt: si credunt, nil facit sigillum: si non; neq; credunt sigillum esse regium. Ergo nihil confert. Simili ratione de sacramentis concluditur: Cum sacramenta non sciantur esse sigilla Dei, nisi quia scriptura hoc docet, si creditur verbo sine sacramentis, quorsum sacramenta? Si non creditur, certè nec sacramenta creduntur esse sacramenta: proinde nihil operantur. Ad hujus syllogismi assumptionem respondemus, in cuius utraq; parte peccat adversarius. Nam primum in posteriori non modo scientia humana certitudine supra fidem extollit; de quo falso ejus postularo nos alibi: sed etiam fallaciam inconsequentis committit. nam licet sciamus promissiones Dei esse veraces, inde tamen non sequitur, sacramenta nihil facere ad confirmationem fidei nostræ. est enim tanta hujus etiam in fidelissimis quibusq; infirmitas, ut sulcimentum & stabilimentum aliquod admittat imò requirat, id quod Deo $\alpha\gamma\alpha\theta\iota\sigma\mu\sigma\ \eta\ \nu\omicron\tau\iota\sigma\mu\sigma$ notissimum, qui se ad nostram imbecillitatem sublevandam firmandamq; demittens, quod verbo promisit, etiam sacramento obsignat. Deinde in prioris parte assumptionis*
proban-

probanda, facit iterum disjuncta, qua divina ordinatione sunt conjuncta. Sacramenta enim quae Deus adiunxit verbo, ad augendam fidem nostram, aduersarius abjungit & seorsim sumit contra Dei institutionem & voluntatem, atque sic inania esse sigilla ostendere conatur: in quo bis peccat. neque non disjuncta sunt, quae coniunxit. Deus, neque efficaciter verbo adjuncta sigilla esse inefficacia, contra Dei sapientissimi & veracissimi promissiones asserendum est: cum ille nihil frustra ordinet, & efficaciter per se, sed per accidens quodammodo inefficaciter aliud efficaciter additum, non facit, ut illud prius sit inefficax, sed potius ejus efficaciam provehit & auget. Denique, facit testis similia, in quo statuuntur talia, convenire: in reliquis non opus est esse similia; id quod ad multas Lesuita argutias refutandas valet.

XXV. Iterum aduersarius contra id, quod respondimus de verbo & Sacramentis non disjunctis, cum sint instar diplomatis & sigilli regii, excipit hoc modo: Si verbum & sacramenta ita coherent & a se dependent, ut diploma & sigillum regium, alterum eorum, quod auctoritatem infallibilem in se habet, erit sigillum; alterum quod ea caret, erit instar diplomatis. sigilla enim (inquit) habent suam auctoritatem sine literis diplomatis: diplomata vero absque sigillo minime. At verbum per se auctoritatem habet infallibilem. Ergo verbum erit sigillum, non autem sacramenta. Propositioni huius syllogismi, quam apponit probationem (cui illa innititur) tam mira apparet, ut nullibi ejus exemplum reperiri posse videatur. sigilla enim diplomatum, quae verè sunt talia, quis unquam vidit sine literis diplomatis? Quod si vero intelligat, quae vel apponenda sint, vel appesita fuerint, constat inter omnes, neque dum illa, neque haec amplius esse talia, cum inter sigillum & rem ob signatam sit relatio, quae nec prius est, nec durat amplius, quam ipsa ob signatio. Ad assumptionem responderemus, verbum habere quidem per se & in se infallibilem auctoritatem; sed apud nos languidiores & ad incredulitatem ex nostra depravatione propensos, ex sigillis additis maiorem accipere. ineptus autem in eo videtur Lesuita, quod disputat quid verbum per se habeat, cum quaestio sit, quid apud nos ob id idem habere possit & debeat. atque haec de primo Bell. argumento, quo labefactare conatur octavum requisitum sacramentorum, quod concernit finem eorum. Nam quod ipse fingit, posse dici a nobis sacramenta confirmare eo modo, quo actio externa confirmat & iurat orationem docentis: idque, ut constraxit, ita disijcit; sinimus libenter hominem cum suis somnijs, quae nil ad nos, bellum gerere.

Sen-


XXVI. Secundum Iesuita argumentum est ab auctoritate sacrarum literarum, in quibus sacramenta nusquam dicuntur testimonia promissionum, sed ubiq; describuntur ut instrumenta justificationis. E. sacramenta non sunt testimonia prom. Antecedens confirmat enumeratione testimoniorū de baptismo & Eucharistia, in quibus ille dicitur lavacrū regenerationis, hæc verò organum vitæ æternæ. Quod argumentum dextrè intellectum largiri possumus adversario, ut suo patebit loco: at eo non probat, quod suscepit. etsi enim ijs in locis non dicuntur esse sigilla justitiæ fidei verbo addita, tamen alijs in locis talia esse dicuntur ut Gen. 17. 11. Rom. 4. 11. quod ipsum non latebat. Sed hæc testimonia hoc capite tantum attingit, alijs autem enervare conatur: de quo in ipsa *ougythod* per occasionem agemus.

XXVII. Tertium argumentum est: Si sacramenta solùm essent testimonia promissionis & gratiæ, vel supervacanea, vel certè parum necessaria essent. habemus enim alia testimonia adepta justitiæ longè meliora, nempe bona opera, quæ edere non possunt hypocritæ & impij, cum tamen sacramenta suscipere queant. At sacramenta non sunt supervacanea, aut parum necessaria. Ergo non sunt solùm testimonia promissionis & gratiæ. Hoc argumentū, quia non est ex confessionis nostræ hypothesi sive fundamento extructum, nos etiam non oppugn. ut non n. asserimus, sacramenta esse solùm testimonia promissionis & adepta justitiæ, sed etiam organa & media huius cum offerendæ, tum fidei conferendæ, confirmandæ & obsignandæ, idq; ex parte Dei, quando autem fidei participes facti sumus, quæ justitiæ apprehendimus, testimonium & nobis intus, & alijs hominibus foris edere possunt nostra opera. fidei, tanquā arboris bonæ, fructus boni. Sed de hoc testimonio- rum genere hic à nobis non agitur: quod tamen si Iesuita ab altero, quod sacramenta perhibent, rectè distinxisset, aliter propositionem suam confirmasset.

XXVIII. Quartum: Si sacramenta essent tantum testimonia promissionum ad excitandam fidem instituta, frustra baptizarentur infantes & amentes, quos certum est, nec actu credere, nec posse. At hi non frustra baptizantur. Ergo sacramenta non tantum sunt testimonia promissionis ad excitandum fidem instituta. Propositionis sensus ex præcedentis argumenti solutione petatur. probatio eiusdem à nobis ex parte negatur, ex parte ad superius iudicium reicitur. De infantibus n. quod actu credant testatur ipse Christus Matt. 18. & confirmabitur id ipsum pluribus in doctrina de baptismo: de amentibus nihil necesse putamus à nobis asseri, cum adulti qui hoc defectu laborant, in nostris Ecclesijs non adducantur ad baptismum, infantes verò, si qui tales sunt inter eos nobis ignoti, Dei iudicio committimus

C

impe-



impedimentum tamen, quod eorum regenerationi obstare ab adversarijs fingitur, nihil obesse statuimus.

XXIX. Quintum: Si sacramenta erunt testimonia gratiæ, quæ in particulari conferuntur alicui, sæpe essent falsa: cum conferantur hypocritæ. proinde non liceret ullum baptizare, ne cogere Deum testificari falsum: de nullo enim cered scimus, credatne verè, an verò fingat. Sed sacramenta nunquam sunt falsa. Ergo non sunt testimonia gratiæ, quæ in particulari conferuntur alicui. Propositionis connexio negatur. Sacramenta. n. nequaquam fiunt testimonia falsa gratiæ, cum ab hypocritis accipiuntur. infidelitas. n. hominum fidem Dei non facit irritam, ut ait Apostolus Rom. 3. 3. & August. hom. 26. in Ioh. Sacramentum, si carnaliter accipias, spirituale esse non desinit: at tibi non est, qui tu illud non es. Inutilia quidem sunt utenti, imò etiam nexia; sed hoc idè, quia bono non benè usi sunt. Hoc ut rectè intelligatur, repetendum est memoriâ, quid in Sacramentis Deus & quomodo offerat, quidve homo & quomodo accipiat: Deus omnibus Sacramentum sumentibus gratiam suam offert, confert verò tantum & obsignat verâ fidem, (quam infantibus simul donat per eadem organa) præditis: hæc quia adulti hypocritæ carent, gratiæ divinitus oblata non fiunt participes.

XXX. Hæc de ijs, quæ in nostra sententia tanquam superflua rejicit Adversarius: proximum est ut videamus, quæ ad vera sacramentorum requisita pertinere putat, talia recenset ipse octo. l. i. c. 9. de Sacram. 1. ut sit signum 2. ut sit sensibile 3. ut sit datum sive voluntarium, non naturale. 4. ut habeat cum signato analogiam. 5. ut representet rem sacræ nempe gratiam justificantem. 6. ut ita significet, ut quæ tunc fiat, dum sacramentum adhibetur. 7. ut ita significet, ut fiat vi ipsius sacramenti, tanquam causæ instrumentalis; id quod tamen non de actu, sed de aptitudine intelligi vult. 8. ut sit ceremonia statâ ac solennis, quæ hominem Deo consecret. In his quid & cur probemus, conferenti utriusque partis sententiam dubium esse nequit. Quædam enim de necessarijs ommissa sunt: quædam addita, eaq; vel latentia in nostris, ut tertium & quartum, vel aliena à nostris, ut secundum, quintum, septimum & octavum. Ommissa conferenti nostra cum Pontificijs sunt obvia: ex additis, quæ latere in nostris putamus, sunt, quod signum datum & signato analogon requirit: alterum enim vox mysterij & sacramenti, alterum signi, quod ex relativis collationem & similitudinem aliquam habentibus est, quæ verò aliena & falsa accesserunt, et cum partim ad septenarium sacramentorum numerum complendum

plendum, partim ad fictitiam eorum efficaciam pertineant, suis locis com-
modius examinabuntur.

XXXI. Post tractationem de requisitis sacramentorum, de quibus pri-
mo loco egit Iesuita, differit de definitione formali & artificiosa sacramentorum:
in quo loco tria sibi explicanda sumit: 1. an sacramentum proprie defini-
fit. 2. quæ sit ejus vera definitio. 3. num hæc conveniat sacramentis omnibus,
an verò tantum N. T? Horum primum cum sit de rebus philosophicis, &
minutis (ut ipse loquitur c. 9.) omitti poterat, certè à Iesuita debebat, nisi de
eo dissentientes inter hæreticos hujus seculi referre vellet, ut titulus operis cla-
mat. Nos illa $\lambda\omicron\gamma\alpha\chi\omega\tau\epsilon\sigma\epsilon\alpha$ ad suam disciplinam remittentes, quæ sunt
 $\text{Ἰερο}\lambda\omicron\gamma\alpha\chi\omega\tau\epsilon\sigma\epsilon\alpha$, nempe veram sacramentorum definitionem exponemus.
Ea ex confessione nostrarum ecclesiarum secundum scripturam talis assignari
potest: Sacramentum est actio sive ceremonia sacra divinitus instituta, con-
stans verbo expresso & administratione elementi integri, ut per eam Deus
promissionem Evangelij propriam singulis utentibus offerat & credentibus
obsignet atq; confirmet. Hanc definitionem, quia definito est ada-
quata & verbis proprijs, perspicuis & minimè ambiguis concepta,
bonam esse statuimus. Unde, quod tertio membro habet Iesuita, neces-
sariò sequitur, eam omnibus Veteris & Novi testamenti sacramentis
convenire. Causa verò cur dubitatum fuit à veteribus, an ulla talis de-
finitio dari possit, fuit hæc: quod alij gratiam utriq; testamento com-
munem fuisse negarunt, inter quos est etiam Bellar: alij vetera significasse,
nova verò contulisse gratiam putarint: de quibus, quia suo loco nobis a-
gendum erit, plura hic dicere super sedemus. Eadem causa facit, ut nec
Pontificiorum definitiones hic multis examinemus, nec Zvinglij, Calvi-
niq; dissensum à nobis excutiamus. ea n. postea in doctrina de fine atq; effica-
cia & de discrimine sacramentorum V. & N. testamenti recurrent.

II. DE CAUSIS SACRA- MENTORUM.

I. De causis sacramentorum, quæ hodie agitantur, controversias expo-
situri, ut tantò distinctior sit nostra tractatiuncula, usitatum earum divisi-
onem, quæ aliæ internæ, aliæ externæ dicuntur, sequemur. De intrinse-
cis, tria à Iesuita proponuntur problemata: eorum primum est: Utrum
sacramenta consentent rebus & verbis tanquam materiâ & formâ? Af-
firmat quidem Bell. l. 1. c. 18. sub certis tamen conditionibus, de quibus postea:
Nos negamus. rem. n. visibilem certo verbo mandati de scriptam materiâ
loco agnoscimus; at formam sacramenti (externam) in actione consistere
asserimus.

C 2

II. Affer-

II. Assertionū nostrā fundamenta haurimus primum ex sacris literarum testimonijs, quibus deinde rationes ex iisdem deductas subiiciemus. Testimonia suppeditant sedes & loca, in quibus describitur institutio sacramentorum, Mat. 28. 19. Marc. 16. 15. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. 1. Cor. 11. 23. 24. 25. Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis, Dominum Iesum eā nocte, qua proditus est, accepisse panem, & postquam gratias egit, fregit ac dixit: accipite, comedite, hoc est corpus meum &c. Similiter & calicem, postquam cœnasset, dedit & dixit, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunq; biberitis ad meam commemorationem. Quæ omnia luculenter satis demonstrant formam sacramentorum in actione consistere.

III. Rationes allegata scripturæ testimonia suppeditant sequētes: Prima: Ea est forma sacramentorū, quæ in sedibus ipsorum describitur. At in sedibus cuiusq; Sacramenti proprijs, actio quædam peculiaris, versans circa expressum elementum divinitus imperata, formæ locum occupat: Ergo illa actio sacra, forma sacramentorum est. Minor probari potest hoc modo: Quæ de sacramentorum causis in sede cuiuslibet propria describuntur, ea vel ad causam efficientem, vel ad materialem, vel ad formam, vel ad finalem pertinent. At actio descripta verbis actione imperantibus in unoquoq; sacramentorum, nec ad efficientem, nec ad materialem, nec ad finalem pertinet. Ergo ad formalem.

IIII. Secunda: Forma dat esse rei. At actio peculiaris & propria cuiusq; sacramenti dat ei esse. Ergo communis ex illis peculiaribus dat ei formam communem. Minor probatur à contrario: sublata actione tollitur sacramenti esse, ut ex vulgato axioma constat: Extra usum & actionem à Deo institutam nihil habet rationem sacramenti.

V. Tercia: Posita formâ ponitur essentia rei, eiusq; ab alijs distinctio & operatio, nisi impedimentum extrinsecus accedit. At posita actione ita ut mandata est divinitus, ponitur essentia sacramentorum, eorum differentia ab alijs, & operatio sive effectus. Ergo actio est forma sacramentorum.

VI. Veritate nostrâ sententia paucis ostensâ, falsitatem adversæ partis paucis detegere operæ precium foret. Fœditatem enim illam abominandam quanto clarius videbit atq; intelliget studiosa juvenus, tanto magis veritati adhaerescet, Deoq; pro huius revelatione gratias ager. sed cum id paucis non licitum sit nobis in hac *ΝεφεαΦη* & rudi informatione capitulum controversorum huius articuli, omisso eo in præsentia, tantum condizio,

MSa

nes, quarum supra meminimus à Bell. sua assertioni additas ex tractatibus
contemplabimur. hic enim cum mirè variantes de hac questione doctorum
Pontificiorum sententias, sibiq; invicem contradicentes animadverteret, ipse
velut mediatorem se inter illos interponens, quinque propositiones adfert,
quibus omnem illam discordiam in concordiam transmutatum iri sperat.
Harum prima est: Sacramenta V.T. habuisse solas res. 2. In sacramentis
N.T. inveniri res ut materiam & verba ut formam. 3. Non solum quod est
materiale in sacramentis, sed ipsū totū sacramentū dici, constare ex rebus ut
materiā, & verbis ut formā. 4. Ut sacramenta constare dicantur rebus & ver-
bis, non esse necesse, ut res non sint verba, & verba non sint res, sed satis esse,
si aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi. 5. Non esse necesse ut in om-
nissacramento res & verba conjungantur ut partes essentielles ejusdem rei.
Hec postulat a Iesuita tantum abest, ut componant illam doctorū scholasticorū
discordiam & defendant sacrilegam mutilationem, horrendos abusos & irre-
ligiosum sacramentorum incrementum ad septenarium numerum (quo uni-
cè spectant, licet hoc astute Iesuita dissimulet) ut insuper vera sacramenta
ex suo ordine, si per ipsos stet, exturbent & falsa complura adsciscant. pri-
mum enim sacramenta V.T. ademptā ipsis formā è numero sacramentorum
eijcit: secundum non modo sacramenta N. T. extra usum etiam vera sa-
cramenta esse asserit (quod falsissimum est,) sed insuper aut cum quattuor pu-
gnat, aut cum eo conciliatum, & vera sacramenta incerta reddit & fal-
sorū intromittendorū latissimā fenestrā aperit. id quod plenius ostendere, u-
ti & ceteras propositiones examinare, vitandæ prolixitatis causā non licet.

VII. Secundum problemā est: Quæ sint illa res & verba? Bell.
lib. 1. c. 18. affirmat, res in baptismo & Eucharistia esse visibilia elemen-
ta: verba in baptismo esse, Ego baptizo te in nomine Patris,
Filij & Spiritus S. in Eucharistia, Hoc est corpus meum: Nos de rebus con-
sentimus: de verbis (quæ tamen sola loco formæ non accipimus, ut antè di-
ctum est) institutionem integram requirimus, ejusq; verborum in Eucha-
ristia, de qua præcipue est controversia, alia ad instructionem ministrantium
& utentium, alia ad ipsa elementa consecranda pertinere statuimus. Prioris
generis sunt, quod Evangelistæ & Apostolus dicunt de salvatore nostro: Ac-
cepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis irem, Accepit calicem & post-
quam gratias egisset, dedit illis. Posterioris: Accipite, hoc est corpus meum:
Bibite ex hoc omnes, hic calix est novum testamentum in meo sanguine. De
concionali verbo (intell. promissionem Evangelij propriam, quæ copiose in con-
cionibus explicatur, & summarim repetitur in exhortatione & commone-

fictione, quæ præmitti solet ad populum) quod Bell. c. 19. admiscet, partim ad ritus, partim aliò pertinet.

VIII. Sententiæ nostræ fundamentum unicum habemus scripturam, quæ de sacramentis N. T. agens & res & verba certa tradit, quibus, quomodo illæ tractandæ sint, præscribit. De baptismo vide Mat. 28. 19. Marc. 16. 15. De cœna Mat. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 23. & seqq. jam ante à nobis allegata. Ex his, pro confirmandâ nostrâ sententiâ, hunc syllogismum extruimus: Quæ verba Christus in administratione cœnæ adhiberi vult, ea ipsa citra mutilationem integrè adhibenda sunt. At Christus à nobis indicata supersus verba adhiberi vult, ut ex Baptismi & Eucharistiæ institutione patet. Ergo ea sunt integrè & citra mutilationem adhibenda.

IX. Adversarij porro licet de elementis visibilibus, quæ in utroq; N. Testamento sacramento requiruntur, nobiscum consentire videantur, tamen quomodo sibi consentent, ex eo liquet, quod calicem laicis adimunt, atq; ita altero elemento cœnam mutilant. De verbis verò consecrationis aperè quidam à nobis dissentiunt, sed non omnes dissensionis causas apeririunt. earum non postrema esse videtur, ut errores suos de altera Eucharistiæ parte, laicis ademptâ, de inclusione, circumgestatione & adoratione panis benedicti tegant. tam enim de calice dicitur, quod datus sit discipulis, quam de pane: & de edendo, non de servando simbolo mandatum extat. Quid verò pro campanarum baptismo dicere poterunt, si verba institutionis baptismi, ut decet, non minus attendant, quam usurpant?

X. Tercij, quod sequitur problematis, Utrum res & verba sacramentorum ita sint certa & determinata, ut nihil in eis mutari possit? explicatio ex præcedentibus nota est. cū n. à Christo Ἰσχυρὸν ὄντος inordinata, ut darent invariata ad finē seculi, donec venerit Dominus 1. Cor. 11. 26. omnē mutandâ temerit. item interdiciam esse constat. id quod Bell. latere non potuit. Sed ille, ut haberet, in quo tractando otiosas subtilitates suas depromeret & nostram confessionem, ejusq; doctores celebriores calumniaretur, prætereundam sibi eam non putavit. nam ex Lutheri libro de captivitate Babylon. c. de baptism. hæc producit: Quocumq; modo tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, verè saluum facit: imo non dubitem, si quis in nomine Domini, suscipiat, etiam si impius minister nō det in nomine Domini, verè baptizatū esse in nomine Domini. Hæc Lutherus: unde Iesuita sic colligit: Itaq; secundum Lutherū, si quis dicat, Ego baptizo te in nomine Lutheri & Catharina conjugis eius, vel etiam in nomine Diaboli, erit verus baptismus, modo, qui suscipit, accipiat

p̄t in nomine Domini. Sed Bell. in illis, quæ ex Lutero adducit, fallaciam, quæ secundum plures interrogationes dicitur, committit. priori enim parte agitur de otiosa contentione: Græcorum & Latinorum, quorum illi volebant in baptisimi administratione dicendum esse: *Batizetur seruus Christi*; hi vero, *Ego baptizo te in nomine patris &c. de utraq; formulâ non scandalosè esse litigandum Lutherus iudicat. in posteriori verò de intentione & fide ministri ad baptisimi integritatem non necessariâ loquitur: id quod verba continuò subiecta docent, in quibus ait: non n. in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita est virtus baptisimi.*

XI. Quod autem hæc depravationis verborum & calumniam Lutheri non contentus Iesuita ita pergit (ib. c. 21.) hæc verborum Christi mutationem, ut manifestò repugnat veritati, ita maximè convenire principijs Lutheranae theologiæ, idque hac ratione conatur probare: Si sacramenta ideo potissimum instituta sunt, ut fidem excitent & sustentent, nihil interest, quibus verbis aut rebus utamur, modò illis fides excitari & sustentari possit. At verum prius. Ergo & posterius: in eo ostendit quantum habeat doctrinæ nostræ scientiam & qualem conscientiam, neq; enim ignorare potest aut debet, nos ad fidem excitandam & sustentandam nullum aliud nisi divinum agnoscere verbum. quo posito, labascit imo concidit propositionis connexio: sibi verò suisq; iocundè esse Dei verbum & hominum *ὦρα λέγει* & ex doctrina de traditionibus aptimè novit: res itidem & verba sacramentorū, pro quibus tuendis strenuam pugnam hic simulat, non religiosius à se suisq; tractari ex superiori questione cap. 19 tractata, si eius propositio quarta attenditur, elucescit. quo Iesuitam renovanda memoriæ, conscientieq; causa remittendum putamus.

XII. De intrinsecis Sacramentorum causis hæcenus: sequitur de extrinsecis, finali & efficiente. Circa finalem causam duæ potissimum agitantur questiones: Quis sit finis sacramentorum principalis? Pontificij volunt, sacramenta instituta esse ut sint signa & cause instrumentales gratiæ Dei, seu ut justificent homines. Zwinglius ea instar notarum habet, quibus se homo candidatum & militem Ecclesiæ probet. Anabaptistæ docent, sacramenta nihil esse aliud quam allegorias & signa quedam, bonorum operum & vitæ ac morum spiritualium: Calvinus & qui eum sequuntur statuunt esse symbola externa quibus ad sustentandam fidei nostræ imbecillitatem Dominus benevolentis erga nos suæ promissiones obsignat, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & angelis, quam apud homines

testa-

testamur. Nos verd etsi tres posteriores recensitos fines non reijcimus sed pro minis principalibus secundum scripturam agnoscimus, tamen primariam & principalem aliam requirimus, eumq; duplicem, nempe promissionem Evangelij de remissione peccatorum omnibus utentibus offerre, fidemq; qua ea apprehendatur, excitare: deinde exhibitam credentibus obsignare & confirmare.

XIII. Assertionis nostrae fundamenta ex Scripturae testimonijs sequentibus desumimus: Gen. 17. 7. Stabilio sedus meum inter me & te, & semen tuum post te. Rom. 4. 11. Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei, receptae in praepotio. Gal. 3. 27. Quicumq; baptizati estis in Christum, Christum induistis Eph. 5. 26. Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret & mundaret lavacro aquae in verbo Tit. 3. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. S. Pet. 3. 21. Baptismus nos servat, non sordium carnis depositio, sed bonae conscientiae stipulatio apud Deum 1 Cor. 10. 16. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? & Panis quem frangimus, nonne communitio corporis Christi est?

XIV. Rationes iisdem hasce duas adjicimus: Prior: Sacramenta ad eum finem sunt instituta, ad quem est ipsum verbum nobis datum. sunt enim eius sigilla. At verbum datum est ut sit potentia Dei sive potens medium ad salutem. E. & sacramenta. Posterior: Sigilli est obsignare & confirmare ea, quae verbo sive literis proponuntur. At sacramenta sunt sigilla verbi sive iustitiae fidei in verbo promissa. Ergo hanc obsignant & confirmant.

XV. Priorem horum finium impugnant Sacramentarii, qui volunt, sacramenta esse tantum nuda signa non offerentia gratiam, sed oblatam & acceptam obsignantia & confirmantia: quos redarguit scriptura, quae baptismum appellat lavacrum regenerationis Tit. 3. 5. panem benedictum nominat $\chi\rho\iota\varsigma\ \omega\iota\upsilon\alpha\varsigma$ corporis Christi, 1. Cor. 10. 16. item rationes inde extructae, quas brevitatis gratia omittimus. Posteriores ex primarijs sacramentorum finibus reijciunt Pontificij, quorum argumenta ex Bell. lib. 1. de Sac. c. 17. supra vidimus. Quod autem ad priorem, verbis iisdem ferè nobiscum consentiunt, mentibus in totum dissident, ut pauld post in doctrina de effectu sacramentorum ostendemus.

XVI. Cur autem ad hunc finem principalem Deus talia media adhibuerit, etsi in totum nobis perficere non licet, qui ex parte scimus & ex parte prophetamus: tamen nec Iesuitae, nec aliorum rationes absurdas esse putamus,

qua vel ex parte Dei, vel hominum, vel sacramentorum usitate adferri solent. Praecipuam verò statuimus, ut fidei nostrae imbecillitatem Deus tantò efficacius sublevarer, sublevaramq; speciali illa promissionis ad singulos applicatione confirmaree.

XVII. Hinc porro de altera questione, qua in hoc membro proponitur, quaeritur: Sintne sacramenta necessaria? quid nostrae statuunt Ecclesiae, dubiù esse nequit. Nos n. qua verè & indubitato sunt sacramenta, in utroq; testamento ad salutem necessaria esse statuim9, ratione divinae ordinationis & nostrae indigentiae, seu ut Bell. loquitur, ratione praecepti & mediij: quibus a. & quomodo, in doctrina speciali singulorù docebitur & ibidè de dissensu Sacramentariorù in hac quest. plura dicentur. Pontificij v. qui plura N. T. quam nos agnoscunt, omnia quidem necessaria esse volunt necessitate praecepti, non necessitate mediij: quod quomodo intelligant, vide Bell. lib. 1. de Sacra. c. 22.

XVIII. Quod autem Bellarminus ibidem in explicatione sua tertia & quarta propositionis asserit, necessitatem mediij à nobis concedi non posse, si nostrà de fine principali sacramentorù velimus disputare: tum quia extra sacramentorum usum in verbo idem fit, tum quia velut picturae rudibus idem praestant, quod scripturae doctioribus: ad earum rationum priorum respondemus, idem fieri utrobique, sed non eodem modo. per verbum. n. offertur promissio auribus & cordi, per sacramenta non modo his, sed etiam oculis: in verbo communiter omnibus, in sacramentis singulariter unicuique: quem modum esse nostrae infirmitati accommodatiorem dubitari à nemine sano potest. posterior autè Iesuita ratio minus dicit, quam sacramentis inesse à nobis creditur. non enim tantum picturae sunt representantes oculis, id. quod verbum auribus offert, sed simul efficacia media salutis per quae sua natura ad id adhibita, ut suo loco dicetur de singulis uberius.

XIX. De causa efficiente sacramentorù quatuor quaestiones proponuntur à Bell. l. 1. c. 23. Prima: An sacramentorum N. T. in universum orbem cum Evangelio promulgatorum auctor immediate sit solus Christus? Nos de veris & indubitatis affirmamus cum Pontificijs: de quinq; reliquis negamus: interim de illorum dignitate nihil detrahimus: Probationem si quis requirat, ex ijs, qua deinceps de numero sacramentorum N. T. disputabuntur, huc assumere poteris.

XX. Secunda: Quis sacramentorum administrandorum minister in Ecclesia esse debeat? Nos ordinarium esse ministrum verbi: extra ordinarium, necessitate extrema urgente, in baptismo administrando posse esse laicum (ut vocant) tam masculum quam feminam statuimus: idem ve

ad de cœna administratione non sentimus. Pontificij si cet. verbis nobiscum
consensire videantur, sensu tamen discrepant, partim quod hosce ministros
per unctionem & rasuram, peculiarem vim & potestatem conficiendi sacra-
menta accepisse putant, (vide Bell. de Sacram. ordinis c. 10.) partim quod
inter hos peculiarem ordinem & gradus in administratione baptismi divi-
nâ auctoritate esse fingunt (vide eundem de baptismo c. 7. & in lib. de cle-
ricis c. 14.) Confirmationem nostræ sententiæ in disputationem de baptismo
brevitatis causa differimus,

XXI. Quod autem de hac questione duas singulares opiniones falsas & in-
ter se pugnantes D. Luthero tribuit Bell. (lib. 1. c. 24.) quarum prior af-
ferat, omnes omnino esse ministros, non solum homines, sed etiam Dæmo-
nes: posterior, omnes & solos homines baptizatos habere potestatem om-
nia sacramenta ministrandi, tamen si ad tollendam confusionem non oporteat
omnes uti hac potestate, sed tantum eos qui legitime sunt vocati, ex-
ceptis tribus casibus: primo, quando quis est in loco privato, ut domi suæ:
secundo, quando nemo alius adest & necessitas urget: tertio, quando alius
adest & non tam bene ministrat, ut ego facerem, juxta illud 1. Cor. 14. Si
alteri revelatum fuerit, prior taceat: in his omnibus se sicuti morem an-
tiquum obtinet præferendam suis somnijs Lutheri nomen, ipsi, hujus loca, li-
cet vel nihil eorum, quæ ipsi tribuit, vel etiam contrarium testantia, sub-
jungendi, nam in priori errore probando Lutheri locus, quem ex libro de
Missa privata & unctione sacerdotum allegat, nequaquam categoricè affir-
mat, Dæmones esse ministros sacramentorum, sed hypotheticè ponit, si irre-
peret in ministerium & partes ministri obiret, rectè docendo & admini-
strando sacramenta, virtuti & efficaciæ sacramentorum nihil decedero.
quæ conditionalis assertio, efficaciam sacramentorum respiciens, ad perso-
næ ministerium simpliciter trahitur & in categoricam assertionem ab ad-
versario mutatur: à quâ quantum differat, è logicis notissimum est, &
ostendit id ipsam vel unicum illud Apostoli: Si vel angelus è cælo veniret &
aliud Evangelium annuntiaret &c. ex quo thesin hanc sive propositionem
simplicem nemo pius, nemo sanus formaverit: Angelos etiam è cælo venire
& aliud Evangelium annuntiare. In posteriori autem probando licet satis
copiosus sit, tamen ne unicam voculam profert, ex quâ colligere licet, tertium
illum casum, quem Luthero affingit, aut ipsi unquam in mentem, aut nostris
ecclesijs, ex ejus consilio in consuetudinem venisse.

XXII. Tertia: Utrum infideles sive hypocritæ & improbi etiam
vera sacramenta salubriter administrare queant? Affirmant nobis-
cum

sum Pontificij (quam consentienter sua doctrina principijs, in praesentia non licet exquirere) negarunt olim Donatista: contra quos agere nobis non est animus, quibus controversias hodie potissimum agitari solitas proponere constitutum est. vide, si libet, plura de hoc argumento apud Bell. lib. 1. de sacra c. 26. **XXII.** Quarta: Sitne intentio ministri necessaria ad rectam sacramenti administrationem? Nos negamus affirmant Pontificij (vide Bell. lib. 1. de sacram. c. 27) *19. Text & lex* nostra sententia non necessariam putamus, quia adversarios sua ex scriptura unico fidei principio desicit, atque insuper falsis hypothesebus utuntur. nam (ut ajunt) aut in ministro simul & in verbis sacramentalibus est virtus operativa, sed de pendentem ab illo (h. e. ministro) quae tum se exerit, dum verba conjunguntur cum virtute, quae est in ministro: aut in verbis sacramentalibus tantum, quae se non exerit, nisi quando illa moventur ut Dei instrumenta: id quod tum demum fit, quando ab eo pronunciantur, cui ipse ea commisit, nempe ministro legitimo. Prior harum opinionum Bell. probabilior videtur; nobis neutra, qui virtutem & efficaciam sacramenti à solius Dei potentis institutione & veraci promissione in solidum pendere credimus, & contrarium sentientes non de lana caprina, sed de re magna & consolatione conscientijs necessaria litem nobis movere, praesertim nobis judicij facultatem magno illo nostri seculi theologo, D. Chemnitio, statuerimus.

III. DE EFFECTU SACRAMENTORUM.

I. De effectu sacramentorum tres à Jesuita proponuntur quaestiones controversae; earum prima est: An sacramenta N. T. sive novae legis (ut Pontificij loquuntur) sint verae causae (instrumentales) justificationis ex opere operato? sive, An sacramenta N. T. conferant gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis, à Deo ad hoc instituta, non ex merito agentis vel suscipientis? Pontificij affirmant (Bell. lib. 2. de Sacram. c. 1.) Sacramentarij negant. Nos ab utrisque mediâ viâ incedentes dissentimus, id quod partim ex supra dictis, de finibus sacramentorum, qui in legitimo usu cum effectis coincidunt, partim ex sequentibus constat.

II. Pontificij dum ajunt, sacramenta novae legis conferre gratiam justificationis, ex vi ipsius actionis sacramentalis, in tribus potissimum à nobis dissident. primò n. gratiam justificationis non intelligunt promissionem remissionis peccatorum, in qua justificatio nostra sita est: sed qualitatem & habitum infusum; qui nos per peccatum à Deo aversos, rursus ad eum convertat, & ad bonum agendum habiles & idoneos efficiat, atque ita salvet. Deinde cum eam gratiam conferri ajunt ex opere operato, fructum & efficaciam

etiam sacramentorum omnibus utentibus sine discrimine non modo promitti & offerri (quod largimur) sed etiam sine fide contingere adultis affirmant, modo ne ponant obicem, h. e. designent peccatum mortale, vel ejus designandi propositum habeant. inter peccata autem mortalia non referunt incredulitatem, quæ tamen omnium peccatorum fons & origo est. Denique quando vi actionis sacramentalis omnibus utentibus gratiam justificationis conferri asserunt, ipsa verba sacramentalia à sacerdote pronunciata volunt esse practica, in quibus sit vis operativa, eliciens virtutem absolute in elementis hærentem. Sacramentarij, cum de omnibus illis tribus, tum præcipue de oblatâ & collatâ per sacramenta gratiâ à Pontificijs atq; etiam à nobis differunt. Volunt n. tantum esse signa significativa gratiæ jam antè acceptæ, non autem exhibitivæ conferendæ. Nos autem gratiam remissionis peccatorum, in quo justificatio consistit, & renovationis, quæ est sanctificatio, per sacramenta vi institutionu & promissionis divinæ omnibus utentibus offerri & per legitimum eorum usum, fidem, quæ promissionem gratiæ respicit & apprehendit, excitari, excitatamq; & bonis promissis oblatiisq; fruentem confirmari & obfirmari.

III. Hunc effectum principalem (quem supra in doctrina de finibus sacramentorum scripturæ testimonijs & rationibus munivimus) dum producimur, reliquos minus principales non excludimus. sunt enim sacramenta nervo publicæ congregationis, ut apparet ex 1. Corinth. 11. 20. sunt signa & nota, quæ veram Ecclesiam à falsa distinguunt 1. Corinth. 10, 21. continent admonitiones de pietate & virtutibus vero Christiano dignis, Rom. 6. v. 14. & 1. Cor. 10. 17.

IV. Sacramentariorum opinionem, quod sacramenta sint tantum signa significativa, nō exhibitivæ gratiæ, refutat præter testimonia illa superius adducta etiam hæc ratio: Qui est verbi usus & efficacia, eadem est & sacramentorum: sunt enim ad idem divinitus data, cum hæc sint illius sigilla, ut supra ostendimus. At verbum est potentia sive medium ad salutem efficax. Et sacramenta. Propositio vera & certa est etiam concessione adversariorum. Assumptionem probant sequentia scripturæ testimonia. Rom. 1. 16. Heb. 4. 12. 2. Tim. 3. 16 omnis scripturæ (quæ à verbo tantum differt accidenti) est divinitus inspirata & utilis ad docendum &c.

V. Pontificiorum error, de sacramentis gratiam conferentibus ex opere operato sine fide, unum hunc opponimus syllogismum: Eo modo sacramenta usurpata profunt, quo verbum: quia in hoc & in illis proponitur promissio gratiæ, cujus fructus uno & eodem modo percipitur. At verbum non prodest

prodest nisi fide acceptum Heb. 4. 2. Ergo nec sacramenta. Huc pertinet
vulgatum illud: Non sacramentum, sed fides sacra menti justificat. Et Augu-
stini sententia ex tractatu 90 in Iob. Non quia dicitur, sed quia creditur.

VI. Secunda de sacramentorum effectis quaestio est: Utrum iustifi-
care ex opere operato sit proprium sacramentis novi Testamen-
ti, an commune cum sacramentis V. testamenti? Pontificij solis
N. T. sacramentis hunc effectum tribuunt: Nos neutris, ut ante proba-
tum est. Causam sui figmenti asferre solent, ut ex consilio Florentino
constat, quod sacramenta V. T. significarunt tantummodò gratiam, Novi
verò testamenti eam causent & conferant: quae probatio cum aequè incerta,
imò falsa sit atq; ipsa, cui adhibetur, conclusio (neutra enim ex verbo Dei de-
monstrari potest) merito cum ipsa rejicitur, totaq; huius controversiae tra-
ctatio, quae extra verbum Dei instituta est ab adversariis, tollitur. Quae au-
tem inter nos & sacramentarios est de differentia sacramentorum utriusq;
testamenti, quia ipsam eorum essentiam, non autem fructum concernit, tan-
quam ab hoc loco aliena, in proprium differetur.

VII. Tertia superest in hoc capite quaestio: An aliqua sacramenta im-
primant in anima characterem indelibilem? Pontificij tribus sacra-
mentis hunc peculiarem effectum tribuunt: baptismo, confirmationi & ordi-
ni. Volunt autem, Bellarmino teste (lib. 2. de Sacram. c. 19.) characterem
esse qualitatem absolutam in sola anima impressum, quae aptos faciat ad cul-
tum divinum, configuret Christo & distinguat ab alijs. Nos totum id nega-
mus, neq; probationem ulteriorem addimus: quia ea quae extra scripturam,
tanquam fidei capita proferuntur, retulisse est refutasse.

IV. DE NUMERO SACRAMENTORUM, eorumq; inter se ordine & differentia.

I. In hoc capite duo nobis cum Pontificijs controversa occurrunt: quibus ad-
demus tertium, de quo cum sacramentarijs intercedit nostris Ecclesijs disce-
ptatio. Primum est: Quot sint sacramenta novi testamenti pro-
prie ita dicta? Nos duo tantum agnoscimus: Pontificij septem.

II. Duo cum esse dicimus, proprie & specialissimè vocabulum sacramenti
accipimus: si n. communiter & generalius accipiatur, plura posse numera-
ri non diffitemur. quod monuisse contra Bellar. calumnias sufficit, qui modò
pauciora, modò plura, quàm duo, à nostrarum Ecclesiarum doctoribus statui asse-
rit lib. 2. de Sacr. c. 23 sed quo respectu id fiat non addit. Adversarij verò cum
septè esse affirmant, nò latiore, sed angustiorè huius vocis significationè atten-

hant & in classem hanc prater duo illa, utrinq; in confesso posita sacramen-
ta, quinq; alia addunt, nempe confirmationem, penitentiam, extremam un-
ctionem, ordinem & Matrimonium: quæ omnia vulgari hoc versiculo com-
prehensæ sunt: Ablus, firmo, cibo, dolet, ungitur, ordino, jungo.

III. Sententia nostræ scripturæ testimonijs confirmari potest dupliciter:
primo n. proprie & circa propu hæc duo tantum esse Ecclesie N. T. commenda-
ta, clamât ijs in locis, quibus de sacramentorum à Christo institutione agit,
quales sunt, Mat. 28. v. 19. & 26. 26 & seqq. Marci 16. 16. & 14. 22. & seqq.
Deinde eadem figuratè & ἐπινοητικῶς ἑστὶν idipsum confirmat, quando apud
Ioh. 6. 19. 34. aquam & sanguinem, ex aperto Christi latere profluxisse testatur:
quæ de sacramentis duobus, baptismo & cœna Domini, pia antiquitas intel-
lexit, uti ex Cyrillo & Theophylacto in c. 19. Iohannis, Damasceni lib. 4. c. 10.
ἐπινοητικῶς ἐστὶν αὐτῶν ἀλλήλων, liquet.

IV. Accedunt rationes Pontificiorum congruentijs longè congruentiores:
Prima. Cui definitio competit, eidem & nomen & res quæ definitur. At
duobus hisce, baptismo & Eucharistia, definitio sacramentorum vera & ad-
æquata tantum convenit. Erga his duobus tantum, & nomen & res definita,
nempe sacramentum, convenit.

V. Secunda: Propria rei cui insunt, eidem & res ipsa, cuius sunt illa pro-
pria. At baptismo & cœnæ tantum modo insunt propria sive requisita sacra-
mentorum novi testamenti omnia. Ergo hsdem tantum modo res ipsa.

VI. Tertia: Quot fuerunt V. T. sacramenta, totidem novi esse verisimile
est: siquidem, illis sublatis, nova successerunt, ut de baptismo in locum cir-
cumcisionis ex Col. 2. n. de cœna paschali substituto ex 1. Cor. 5. v. 7. & 11. 25.
Item Luc. 22. 20. colligitur. At V. T. duo tantum modo fuerunt sacramenta
proprie ita dicta. Ergo totidem N. T. sunt sacramenta.

VII. Quarta: Quot modi fidei excitandæ, alendæ, confirmandæq; necessa-
rij, totidem sacramenta N. T. esse non absurdè statuitur. hic enim finis est sa-
cramentorum principalis. At fides primum excitatur baptismo, alitur de-
inde & confirmatur Eucharistia. Ergo hæc duo tantum esse sacramenta novi te-
stamenti non absurdè statuitur.

VIII. Aliæ enim, de quo Pontificij nobis in hoc capite titem movent, est: An
aliquis ordo dignitatis sit inter sacramenta N. T. ut unū altero sit
prestantius? Pontificij affirmativam, nos negativam tuemur.

IX. Ut 2. nostræ ἀποφαισεως sententia sit dilucidior, repetere oportet, quod su-
p̄eriori quaestione tractatū est, sacramenti nomen & rem, quamvis strictissime
sup̄rata, latius tamen & ad plura, extendi ab adversarijs, quàm à nobis, cum
ibi

illi septem agnoscant in N. T. sacramenta, quorum nos duo tantum accepimus. quod si æque lata significatione & sensu vocabulam & res ipsa, eo devotata, à nobis hoc loco & ab Antagonistis acciperetur, facile cõcederemus sacramentorũ, ita ab ipsis dictorum, alia alijs esse digniora, cum quinq; illis hodie vult prater titulum inanem de re & naturã sacramenti, quã duo illi, baptisumus & Eucharistia, totã habent, nihil inesse statuamus: quamvis alias de ipsorũ dignitate nihil detractũ velimꝰ. Sed aliud est, quod hac questione credendũ ab adversarijs proponitur, nempe inter sacramenta illa N. T. duo, quæ utriusq; agnoscimus, Eucharistiã excellere, itã propter ejus substantiam, nempe Christi, quæ verè (ut loquitur Bell.) continet, cum baptismus, ut & reliqua quinq; fictitia, tantum virtutem agendi quandam sibi communicatam habeant: tum propter consummationem ceterorum omnium: unde post singula conferrí solet (ut ait Iesuita) quando ea conferuntur adultis.

XI. Hujus opinionis explicatio, quæ prater inanes argutias & ociosas subtilitates nihil pollereri videtur, eò facit, ut errores pontificorum de substantia sacramentorum & fructu tantò penitentiã introspectiamꝰ, introspectosq; caveamꝰ. Baptisumus enim essentiali & primariã parte, nempe ipso Christo secundum corpus, quæ est substantia sacramentorum N. T. cujus umbram vetera habuerunt, hac sua opinione spoliunt, & efficaciam ejusdem, quam aliã justã majorem faciunt, inefficacem constituunt, dum per Eucharistiã reliqua consummari asserunt.

XII. Dignitatem utriusq; sacramenti in N. T. parè ostendunt pares ferè in utroq; causã. etsi n. in materiali externo sive elemento & actione externa, quæ cuilibet peculiaris sunt secundum institutionem, aliqua sit utriusq; dissimilitudo: in efficiente tamen, in materia & forma interna, item in fine conveniunt: unde ita concludimus: Quæ in præcipuis causis conveniunt, eorum par est dignitas. At baptismus & cœna Domini in illis conveniunt. Ergo par utriusq; est dignitas. Idem confirmat rationum, quas adversarij adferunt, infirmitas: quarum altera contra sari prætam (ut paulo post probabimus) altera citra eam adfertur.

XIII. Tertiu: de quo in hac capite controvertitur, est. An eadẽ sit ratio sacramentorũ V. & N. T. quod ad substantiã eorum internã, nempe Christi carnem, huiusq; fruendæ modum? Sacramentarijs affirmativa: nobis negativa utrobiqu; videtur vero consentanea: Pontificij quomodo ab utrisq; discrepent, ex paulo ante expositis patet.

XIV. Substantiam, in qua utriusq; testamenti sacramentorum differentiam præcipuã positã esse asserimus, cum nominamus, ipsum Christum mediatorem & sal-

Et saluatore nostrū secundū carnem intelligimus, atq; ita inter eum & effectū ab ipso nobis proueniente distinguimus. hunc n. omnibus verē fidelibus etiam per V. T. Sacramenta oblatum & collatum concēdimus: at illū, antequā homo factus est, in V. T. Sacramentis tantummodo significatū, nunc verō postquā in carnē venit, per N. T. Sacramenta exhiberi credimus: unde V. T. sacramenta in ueterib; Novi vero in eisdem esse consequitur.

XV. Assertionis nostrae fundamenta sumimus primū ex scripturae testimonijs sequentibus. Col. 2. 17. quae sunt umbrae futurorum, corpus uero Christi, Heb. 10. 1. Lex umbram habuit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum Luc. 22. 20. Hic calix N. testamentum est in meo sanguine.

XVI. Rationibus eandē confirmamus hisce: Prima: Sacramenta imitantur naturā sui testamēti, cui obsequiādo sunt addita. At Veteris T. tantū erāt umbra, noui autē ipsum corpus. Ergo sacramenta quoq; utriusq; sunt talia.

XVII. Secunda: Si eadē est ratio V. & N. T. sacramentorū, quod ad ipsam eorū substantiā, Christus malē distinctionē instituit inter utraq; dū dixit: Hic calix nouum est testamētū in meo sanguine. At Christus, qui est ipsa ueritas & sapientia, distinctionē malē instituere non potuit. Ergo non est eadē ratio utriusq; testamēti sacramentorum, quod ad ipsorum substantiam.

XVIII. Tertia: Si sacramenta utriusq; testamēti sunt significatiua rei & quidē eodē modo, noua non erunt angustiora ueteribus. At sunt angustiora. Ergo non tantū significatiua rei siue substantiae sacramentorum. Propositionis connexio ita ostenditur: Signorum uis & natura in sacramentis, aut spectat ipsam eorum substantiam, aut fructum: in fructu utraq; conueniunt. E. si in substantia quoq; noua non erunt angustiora. Assumptionis ueritas ex prima ratione deducitur: Sacramenta imitantur naturam suorum testamētorū. At Nouū testamētū angustius & dignius, quod uel sola abrogatio ueteris ostendit. Ergo sacramenta quoq; illius sunt angustiora & digniora.

XIX. De ceremonijs, quae ultima est in hoc articulo fidei controversia, sex quaestiones à Bellarmino l. 2. de Sacram. c. 30. proponuntur: de quibus etiam si animus & calamus gestiat nostrarum Ecclesiarum sententiam ex uerbo Dei exponere, tamen cum superiora spe & proposito nostro prolixiora facta sint, & breuitatis studiū nobis imperatū sit ab ijs, quorum auctoritate uenerari & mādati obsequi nobis fas est, sine hoc facimus, resumpturi enumerata problemata, quae per occasiōem licuerit, & Domino, in cuius manu sunt studia & insinistra nostra, conatus nostros magis magiq; secundare uisum fuit:

Ei sit laus & honor in omnem aeternitatem.

AMEN.

R. o. t. h. i. j. Typis Stephani Myliandri. Anno 1604.

